

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Auctoriare Et Sub Auspiciis ... Domini Guilielmi IX.  
Hassiae Landgravii, Principis Hersfeldiae, Rel. Rectoris  
Academiae ... Januarii A. MDCCLXXXVI. Celebrabitur  
Novi Magistratus Academici ...**

**Arnoldi, Albert Jakob**

**Marburgi, [MDCCLXXXVI?]**

**VD18 12074993**

Cap. II, 6.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-15029**

quando verbum præcedit. (Vid. clar. SCHROEDERI Synt. §. LXII, I. et ven. STORRII Obs. ad anal. p. 380. sq.) Ad hanc igitur rationem si interpretem Græcum legisse ponamus וְשִׁבַּר בְּשָׁעִים, scire equidem velim, quo alio modo, atque nunc Hebraice vertit, ea reddere vel potuerit, vel debuerit.

Cap. II, 6.

Verba כִּי נִשְׁתַּחַּו עִמָּךְ בֵּית יַעֲקֹב, quae a plerisque vertuntur: *deseruisti*, vel *reiecisti* (tu Deus) *populum tuum*, *gentem Iacobaeam*, ven. PAULUS (*Memorabilien Fasc. V. p. 95.*) interpretatus est: *quando* (tu Deus) *populum tuum contemparis* (\*), atque hac occasione inuitante vniuersum verbum נִשְׁט eo quidem consilio tractauit, vt explosa, quam adhuc nemo non ei tribuisset, *dimittendi*, *relinquendi* ac *deserendi* significatione, tanquam ficta illa atque ex paucorum tantummodo locorum serie temere arrepta, sufficeret eius in locum genuinam *considerandi* et *contemplandi* notionem, in Arabico نطس seruata. Itane vero? omnes adhuc interpretes et lexicographos vera latuit indoles verbi, quod

(\*) *Betrachtest du (Iehova) dein Volk, die Iakobiden,*

*So — sind sie, weil sie reich, wie vormals, wurden,*

*Wahrsager wie die Philistäer,*

*Und werden Fremden nun die Hände bieten.*





quod quidem neququam in rarioribus est? Nam si vsu venisse id perhiberetur in verbo, aut semel tantum, aut paucissimis certe in locis obaio, nihil esset profecto, quod mirandum nobis videretur. Neque enim nos fugit, quot quantisque, vel post eos labores, quibus de literis Hebraeis immortaliter meriti sunt Schultensii, Schroederi, Michaelis, etiamnum defectibus laboret istius linguae cognitio, aliorum opera sarcendis. At vero נטש in codicis Hebraei locis minimum triginta, varia serie varioque contextu, positum comparet, modo aliis cum verbis instar synonymi coniunctum, modo seiunctum ab aliis tanquam a contrariis. In eo igitur intelligendo, et veteres, et recentiores omnes vsque eo caecutire potuisse, vt potestatem ei affingerent a genuina toto genere diuersam, quoniam per se parum credibile est: qui nihilo secius illos omnes tam grauis erroris arguere velit, is profecto accusationis suae fidem faciat, oportet, argumentis haud quaquam dubiis, quin hoc etiam euidentioribus, quo confidentius dicam illis impegerit. Qualia num in medium protulerit ven. PAULUS, operae pretium fuerit, paucis inquisiuisse.

Igitur primum quidem sententiae suae quasi fundamentum substernit locum 1 Sam. XVII, 28. vbi Eliabus fratrem suum natu minimum, Dauidem, qui relicto grege paterno Israelitarum castra inuiserat, his verbis compellans inducitur: *cur huc venisti*, ועל מי נטשת מעט הצאן ההנה במדבר, Quae si ex consueta verbi נטש expositione reddenda sint, quomodo ea reddere placuit Viro clarissimo: *et cur deseruisti parumper gregem in*  
de-



*deserto?* (Warum hast du die Heerde ein wenig verlassen?) quis est, quin videat, adiectum illud נטש *parumper*, utpote minuens vim obiurgationis, quam maxime importunum esse orationi indignabundi Eliabi? Hac itaque ratione ductus concludit ven. PAULUS, exuendum esse verbum נטש *deserendi* potestate, et donandum contra, qua diu nimis caruerit, sororii נטש significacione, ex qua aptius nunc sonet increpatio: *Cur parum attendis aut curas gregem?* (warum hast du so wenig acht auf die Heerde?)

Sed ut libere quid sentiam profitear, mihi quidem hic textus eiusmodi videtur esse, qui minime omnium iustae dubitationi de vero sensu verbi נטש locum relinquat. Neque tribuere possum nisi festinationi nimiae, quod hic ipse locus quantum suae novationi obstat, non animaduernerit clar. Philologus, nempe immemor duorum, quae in eadem narratione praecessissent, commatum, idem verbum נטש, at ita quidem exhibentium, ut certissima inibi sit *relinquendi* notio. Namque v. 20. de Dauide in viam se daturus legitur: ונטש את הצאן על שמר *reliquit gregem curae custodis commissum, abiitque* etc. v. 22. autem David, cum ad castra Israelitarum venisset, *reliquisse* perhibetur ea, quae secum attulerat, apud custodem impedimentorum, et procurrisse ad aciem, ubi textus iterum habet: ונטש את הכלים מעליו על יד שמר הכלים, repetita eadem Futuri in Kal forma. Atqui neutri loco facile quis aptauerit illam *considerandi* seu *attendendi* notionem, neque etiam ipse ven. PAULUS eius rei periculum fecit. Contra vero eandem, quam נטש in utroque hoc loco

ex-





exferit manifesto, *relinquendi* vim, repetito quoque v. 29. verbo attribuendam esse, cum per se veri simillimum apparet, tum certius etiam intelligitur ex parili constructionis forma, et particula **לְ** hic non secus atque illic adiuncta. Neque vero usitatam *relinquendi* significationem retinendo vllis omnino difficultatibus implicabimur, modo verba **עַל מִי נִשְׁחַח מֵעַשׂ הַצֹּאן הַהֵנָּה** non vertamus pro arbitrio: *cur deseruisti parumper gregem?* sed ex certis linguae rationibus in hunc modum reddamus: *super quem reliquisti paucitatem illarum ouium, quae magis latine effereamus: cuiusnam igitur curae pauculas illas oves a te relictas commisisti?* Nimirum constructione ea, quam grammatici *praegnantem* vocant (\*), ad notionem *deserendi*, verbo propriam, praepositio **לְ** adiungit alteram *tradendi quid alterius curae seu committendi*, siquidem **עַל פְּלוֹנִי** proprie valét: relinquere quid ita, vt eius cura nunc sit **עַל** *super* alterum, i. e. ad eum pertineat, eius officium sit. De officio enim et debito tum Hebraeos, tum Arabes particulam **עַל** usurpare, dudum docuere L. DE DIEU ad Gen. XVI, 5. et A. SCHULTENSIVS *Animaduers.* ad Cant. V, 10. Quod vero ven. PAULUS **עַל מִי** verterit *cur?* quasi idem esset, quod **עַל מָה** seu **מָה עַל**, id equidem fecisse eum arbitror praeter omnem linguae usum, secundum quem **מִי** de *persona* tantum adhibetur, **מָה** autem et **מָה** de *re* usurpantur.

Quod

(\*) Vid. celeb. SCHROEDERI *Synt.* L. H. §. LXXXII, 1.





Quod discrimen neque DATHIUM vertendo obseruasse miror, diligentissimum alias interpretem. Sed huic pariter ac Vulgato, Luthero aliisque interpretibus fraudi fuit fortasse, quod vno tantum verbo interiecto praecesserat *למה זה*, quare significans. Verius certè Graecus, quicumque is fuerit: *και ἐπι τινα ἀσπυδας τα μικρα προβατα ἐνενα*, itemque Syrus: *כסו כסו כסו*, quos merito secutus est CLERICUS. Eorundem antiquiorum et Vulgati auctoritati credere hoc etiam possemus, *מעט הצאן* pauculas oves, exiguum gregem denotare, neque opus esse, vt *מעט* parumper vertatur, etiamsi aliunde minus constaret, *מעט* nominibus adnumerandum, modo substantiui, modo adiectiui instar constructum, de numero quoque exiguo et tenui *quantitate*, vsurpasse veteres Hebraeos. De re notissima non est, cur verbum addam. Videant tamen tirones exempla constructionis eius, quae hoc loco obtinet, simillima Gen. XLIII, 11. 1 Reg. XVII, 12. et Job. X, 20. vbi *מעט ימי*, paucitas dierum meorum, vt recte Vulgatus, pro pauculis vitae diebus. Quidquid igitur de verbo *כסו* vniuerse statuatur, in Samuelis certe loco, in quo tantum praesidii ad iuuandam causam suam inuenisse sibi videbatur ven. PAULUS, firmiter sustentabit *relinquendi* significatio.

Quibus praeter illum locum rationibus sententiam suam commendari existimauit ven. Auctor, eas paucissimis verbis complexus est: nimirum pro non dubio ponens, receptum adhuc interpretum consensu significatum illum neque vllius dialecti cognatae auctoritate posse confirmari, neque etiam tuto

latis



fatis colligi ex contextu locorum, in quibus verbum נטו inveniatur. Quod ad prius attinet, equidem non ita ineptum iudicauerim eum, qui cum Buxtorfio in *Lex. Chald.* velit dialectum Chaldaicam id ipsum, de quo quaerimus, verbum, iisdemque vsibus insignitum nobis sistere sub נטו, scilicet litera Nun cum Resch, pronuntiationis fortassis vitio permutata, uti in נטו pro שנת, נטו pro שנת, נטו pro שנת etc. Neque etiam mihi desunt, quibus speciem addere possim aut mei SCHULTENSII coniecturae, qua ex litterarum ט et ש transpositione verbum נטו in Arabia reperisse sibi visus est sub نطو, cuius varii vsus a Golio euotati omnes redeunt ad notionem laxandi, soluendi, exsoluendi et dimittendi. (vid. *Clav. diall.* pag. 318.) Sed neutri iam insistens exceptioni, quod postulat ven. PAULUS dare malim omnino, et fateri, prorsus deficere dialectorum auctoritatem in confirmanda notione illa, verbo נטו adhuc attributa. Verum id unum quaeram, utrum vsque eo in intelligendis et interpretandis Hebraeorum libris indigeamus dialectorum cognatarum ope, ut ubicunque ea destituamur, nihil prorsus certum habere possimus neque exploratum? Quod neminem puo fore, qui serio adfirmaverit. Ut enim taceam, esse inter verba Hebraea, quae sub iisdem plane elementis in nulla alia adhuc dialecto indagata fuerint atque reperta, quale e. g. notissimum ילך; profecto magno satis numero alia exstant, quorum significationes, etsi multum discrepantes a notionibus, quae iisdem verbis in ceteris dialectis subsunt, per ipsa tamen vnus vsus biblici exempla tantum habent fidei, ut sine manifestae absurditatis specie a nemine in dubium reuocari possint. Pro specimine in-

fer-



seruiant: אהל, *tentorium*; אול, *stultus* et אולת *stultitia*; אמצ, *validum, robustum esse*; ננ, *tectum*; דבר, *loqui*; חרל, *cessare, desinere*; ירא, *timere*; כבוד, *in honore esse*; כלה, *consummari et consumi*; לון, *pernoctare, commorari*; מעד, *nutare, vacillare*; מצא, *inuenire*; מחנ, *frenum*; נטע, *plantare*; נהג, *ducere*; פשע, *deficere, peccare*; ררם, *de sopore*; שמה, *perdere*; שמח, *gaudere*. Omnes hae significationes, etsi in Hebraeorum libris frequentatissimae, tamen vel omnino exulant, quantum nos quidem nouimus, ex verbis illis, qualia usurpantur in dialectis sororiis; vel saltem non nisi dubia Chaldaismi auctoritate aliquo modo firmantur, neque vnuerse in concordiam reuocari possunt cum vsibus oppido diuersis, qui apud Arabes aliosue Orientales regnant, nisi ope originum, in quibus inuestigandis tamen saepissime ultra coniecturam progredi non licet. Quid ergo? illas omnes loco cedere iubebimus nouis significationibus ex Arabia, Syria, Aethiopia aduocatis, pro nihilo putantes et veterum interpretum testimonia, et in ipso textu atque orationis filo quae inesse possunt genuini significatus verborum indicia? Id si noluerit ven. PAULUS, vti nolle eum persuasissimum mihi est, huc ergo redibit quaestio, satisne utroque hoc argumentorum genere confirmata sit consueta verbi נטע expositio, ita vt si opem suam nobis dederent dialecti; nos ea vicissim facillime careamus.

Hic iam alterum genus, quod de interpretum antiquorum testimoniis est, silentio transmittens, de altero, quod ad orationis contextum spectat, ita statuit Vir ven. non nisi pauca loca ambigua ansam dedisse, qua primum coniectarent in-

D

ter-





interpretes *relinquendi* et *deserendi* significationem, deinde reli-  
 quis quoque locis obtrufam, quae aegre quidem eam admit-  
 terent. Cui iudicio quominus subscribere queam, praeter illa  
 loca, quae iam vidimus ex priore Samuelis libro, in primis ob-  
 stare mihi videtur vsus verbi solennis, quo *Deus* dicitur נָשׂוּ  
*hominem* aut *populum* aliquem, et cuius exemplum habetur etiam  
 in ipso Iesaiiae loco, quo inuitante haec disputantur. Inter va-  
 rios enim verbi vsus in libris Hebraeis prostantes, cum haud  
 fit ullus, quem totidem atque illum loca praeferant, causa sat  
 grauis videtur adesse, cur eo potissimum nitar, eiusque prae-  
 ceteris rationem habendam esse arbitrer interpreti, siue signifi-  
 cationem verbi ex ipsorum locorum contextu probabiliter eruere  
 velit, siue aliorum de ea sententias ex contextu diiudicare. Igi-  
 tur quae ad hanc classem pertinent loca cursim lustremus. Iud.  
 VI, 13. Gideon queritur, non ea amplius conditione esse Israe-  
 litas, qua fuerint maiores eorum, his verbis vsus: וְעַתָּה נָשְׂנוּ  
 יְהוָה, iam vero - - - nos *Iehoua*, quibus adduntur haec: *permittit*  
*nos hostium arbitrio*. Contraria autem formula eodem commate  
 praecesserat: וְיֵשׁ יְהוָה עִמָּנוּ, si *Iehoua nobis adesset*. Iterum 1 Reg.  
 VIII, 57. disiunctorum rationem habent, אֵל יִשְׁשָׁנוּ, non - - -  
*nos Iehoua*, et וְיֵהוָה עִמָּנוּ, *Deus nobis aderit*, haud aliter atque  
 Pf. XXVII, 9. formulae עֹרְתִי הָיְתָה *praesidium meum fuisti*, subii-  
 citur haec אֵל תַּטְּשֵׁנִי, ne - - - me. In utroque hoc loco praeter-  
 ea עֹב *relinquere*, tanquam synonymum, ad נָשׂוּ adiungitur,  
 uti etiam Pf. XCIV, 14. ex parallelismi lege formula, לֹא יִשָּׂא  
 וְנִחַלְתּוּ לֹא, non - - - *Iehoua populum suum*, respondet alteri, יָעֹב  
 יְעֹב



עֹבֵב *peculium suum non desituet*, et Ier. XII, 7. cum verbis נָשַׁתִּי אֶת בֵּיתִי *deseram familiam meam*, nectuntur haec: נָשַׁתִּי אֶת בֵּיתִי, - - - *peculium meum*. In hoc Ieremiae loco nec non 2 Reg. XXI, 14. cum נָשַׁתִּי pariter coniungitur, vt in loco ex libro Iudicum allato, תָּתַתְּ עִם בֵּית אֲבוֹתֶיךָ *tradere populum hostium potestati*. Contra; 1 Sam, XII, 22. verba, לֹא יִשָּׁשׂ יְיָ אֶת עַמּוֹ, *non - - - Iehoua populum suum*, illustrantur per disiuncta, *Iehouae placuit vos sibi populum adferere*. Denique Ier. VII, 29. מֵאֵסָה *spernit Iehoua*, וַיִּשָּׁשׂ *et - - - gentem cui indignatur*.

Vel breuis hicce conspectus equem addubitare sinit, etiam si Hebraismi sit ignarus, num *deserendi* significatio sit ea, quam omnes illi contextus, non dicam commode admittant, sed vnice fere deposcant sibi atque efflagitent? Certe aut nihil in interpretandis verbis dicendive formulis valet vsquam adiunctorum, vel similium, vel contrariorum consideratio, aut hinc euidenter patet, *Deum נָשַׁתִּי homines aut populos dici*, qui eos *derelinquat, deserat*, atque abiecta quasi eorum cura aliis eos *permittat* pro lubitu vexandos. Nec minus illud quoque nemo non sentiet, in octo illis, aut si Iesaiiae textum addiderimus, nouem locis, eandem manifesto rem iisdem verbis describi, neque proinde licere interpreti, vt suo arbitratu alibi alium significatum eidem formulae adfignet. At *considerandi* potestas, ex Arabico نطس repetita, aliquo modo licet adcommodari possit, vel huic Iesaiiae loco, vel alteri Ier. VII, 29. (\*)

pror-

(\*) Eum ven. PAULUS vertit: *Der Herr sehe scharf auf das Zeitalter, das ihn zürnen macht.*





prorsus tamen absona est ab aliis eiusdem generis locis. Quare ven. PAULO, id probe sentienti, nouo verbo opus fuit, ex Arabia rursus aduocato, *נטש* וטש *נטש*, *concussit*, *fregit*, vnde *נטש* לנ, (sic enim legere malit, quam וטש) in locis 1 Sam. XII, 22. et Pf. XCIV, 14. reddere posset, *non conteret*, *perdet*. Attamen vel sic nondum prospectum est loco 2. Reg. XXI, 14. (\*) vbi cum וטשתי propter expressam primam Nun ex וטש duci nequit, tum *considerandi* vis ex וטש parum commodam inuenit sedem. Sed omnino illa interpretandi varietas argumento est, longe praestare illi nouationi rationem vulgarem, veterum quoque interpretum auctoritate confirmatam. Quos inter Syrus quidem constantissime verbum וטש per וטש reddidit, *relinquere*, *deserere*, semel tantum Pf. XCIV, 14. verbo וטש *laxare*, *dimittere*, semel iterum Pf. XXVII, 9. significantiori verbo וטש *abiicere*, vsus, quo in loco Chaldaeus pariter וטש *proiicere* optauit, qui semel Pf. XCIV. verbum Hebraicum seruauit. Iona- than nostro Iesaias loco וטש per וטש expofuit, bis autem 1 Sam. XII, 22. et 1. Reg. VIII, 57. per וטש *reiuicere*, reliquis quatuor in locis verbo וטש vsus, quod supra iam monui a

(\*) Tentavit quidem ven. PAULUS ex וטש hanc versionem: *ich habe nun den Rest meines Eigenthums genau untersucht, und ihn den Feinden binzugeben beschloffen*, sed inuita grammatica, cuius ex lege וטש vim habet Futuri, quippe aliis verbis de Futuro accipiendis subnexus. Sin vero reddas: *ich will mein Eigenthum genau untersuchen*, nihil languidius subiici possit illis, quae praecesserant: *extergam Hierosolyma, et parina extergi solet etc.*



וּשׁוּ haud diuersum visum fuisse Buxtorfio. Idem certe in aliis etiam plerisque, quae ad hanc classem non pertinent, locis, ad reddendum Hebr. וּשׁוּ adhibetur, velut in illis apud Samuelem, de quibus initio vidimus. Alexandrini ceterique Graeci interpretes pro וּשׁוּ substituerunt *ἵεναι, ἀνιέναι, ἀφίεναι, ἐγκαταλείπειν, ἀταθίσθαι, ἀπέρθειν, ἀπορριπτειν, et ἐκρίπτειν*, pariter vt Vulgatus *dimittere, relinquere, derelinquere, proiicere et repellere*: verba quidem varia, sed quae nemo tamen non videat ad idem redire, quod defendimus, significationis genus.

Sed percontemur etiam reliquos vsus, quorum rariora exempla prostant in Hebraeorum libris, vt pateat, neque hos tantum discordare a significatione in illis locis et per contextum, et per veterum auctoritatem satis munita, vt necesse sit, alius plane generis notionem e dialectis repetere.

Primum igitur, quod Pl. LXXVIII, 60. de Deo per Israelitarum idololatriam exacerbato dicitur: וּשׁוּ, et --- *habitaculum Silantis, tentorium in quo inter homines habitauerat*, cum ven. Paulus vna cum aliis locis praetermiserit, dicere non habeo, vtrum vertere malit ex *وطس*, *contriuit habitaculum*, an ex Syr. *ܘܫܘܘܐ*, quo aliis locis succurrere voluit, *polluit, profanauit habitaculum suum*, nimirum pro וּשׁוּ reposito וּשׁוּ. At quis erit, quin simplicissimum iudicet ac verissimum, quod dedit Chaldaeus, *ܘܫܘܘܐ*, *dereliquit et hostibus diripiendum permisit*? quo ducunt etiam quae sequuntur, et historia 1 Sam. IV, ad quam vates

re-





respexit. Eiusdem plane indolis est ארמון נטש Ier. XXXII, 14. quod Vir clar. vertit ex وطس, *protritum est palatium, (ist niedergestossen)*. Sed cui non praeplaceant iterum *palatia derelicta*; Ἴουσι ἐγκαταλειμμένοι Alexandrini, aut, si cum Hieronymo, Chaldaeo, Cocceio, Vitringa aliisque de templo cogitet, *domus dimissa*, quam fittit versio Vulgata, maxime cum ex hac ratione aptius respondeant verba iis, quae sequuntur, עיר עוב, *urbs deserta?*

Deinde binis in locis Deut. XXXII, 15. et Ier. XV, 6. *populus*, qui dicitur נטש Deum, tum ex contextu, tum ex locis similibus intelligitur esse, quem veteres quoque voluerunt, *populus deserens ac plane missum faciens Deum*, cui per sacratissima vincula obstrictus tenebatur. Illic enim verba, ונטש אלוה עשו, *dereliquit Deum creatorem suum*, ex lege parallelismi respondent his: *et vilipendit (וינבל) praesidium salutis suae*; hic vero dictio, את נטשתי, *tu missum me fecisti*, explicatur per proximam, אחור תלכי, *retro cessisti*, scil. a me deficiens ad idola. Namque eadem ratione Ier. I, 4. nectuntur formulae נורו אחור et עובו אתי, itemque 2 Chron. XXIX, 6. haec, עובו אתי et נתנו ערף, *tergum obuertunt Deo*: quibus locis collatis ecquis dubitet, quin עס נטשתי fit idem, qui alibi dicitur עס עובי? Contra ab utroque contextu alienissima est verbi نطس potestas: vnde apud Ieremiam haec existeret sententia: *tu studiose me obseruas*, nempe gravissima vituperatione in laudem conuersa. Quam enim ven. PAULUS obtulit huius loci, praetermissio Mosaico, interpretatio-

nem,



nem, (*du hast mich in meinen Strafen genau kennen gelernt*), eam ex illius verbi vi non tam elicitam, quam violenter potius extortam esse, quibus sentiet, qui eam contulerit cum explicatione locorum 1 Sam. XVII, 28. et Neh. X, 37. indidem a ven. Auctore tentata.

Tum quae Prov. I, 8. exstat sententia, אל תשח חֹרְתְךָ, repetita cap. VI, 20. ab illo vsu proxime abest: *ne dimittas legem matris tuae*, μη ἀποση θεσμους μητρως σου, quae Vulgati et Alexandrini versiones confirmantur per disiuncta, נָצַר אוֹתוֹ אוֹתָהּ, *obedire, observare praeceptum*. Haec quis est, quin tenere malit, quam fluctuare atque ambigere, num תִּשָּׁח tanquam 3 Fem. Fut. Niph. verbi שָׁח, ex Syr. ܫܚܘܢ restituendi, reddat: *ne polluaturs matris tuae institutio*, an תִּשָּׁח legat 2. Fut. Kal novi item verbi שָׁח, Arab. طَسَّ *demergere*, vthaec prodeat versio: *ne demergas* (scil. in obliuionem) *matris praecepta*?

Porro נָטַשׁ רֵכֶל, *relinquere rem*, 1 Sam. X, 2. dicitur is, qui *omittit cogitationem et curam rei*, de qua antea sollicitus fuerat, vti seite interpretatus est Syrus, ܢܬܫܐ ܕܢܦܫܐ. Neque poterat obscurus esse hic sensus per ipsam narrationis seriem, ac disiunctum, quod ibi habetur, ܕܢܬܫܐ ܕܢܦܫܐ *sollicitum esse*. Contra alienissima ab hoc loco est *observandi et considerandi* notio, verbo نَطَسَ subiecta, quae si hac conferatur, sententia existet plane contraria ei, quam series poscit. Sed hunc quoque locum intactum praetermississe ven. PAULUM hoc magis miror, quod



quod expressa prima Nun argumento est, vere hic haberi verbum נטש, nec facile posse de alio themate cogitari. Ad eandem non curandi significationem b. DATHE post J. A. CROMAYERUM renocavit illa Hoseae, c. XII, 15. ורמז עליו יטש, Deus sanguinem eorum (Israelitarum) non curabit i. e. sanguinem eorum ab hostibus effusum inultum manere sinet, scil. passim accepto pronomine adfixo in רמז, vti רמס Iud. IX, 24. est sanguis eorum occisorum s. caedes eorum. Enimvero parallelismus membrorum fauet consuetae interpretationi, ex qua רמז active accipitur de sanguine ab Israelitis effuso, caedibus, quas ipsi commiserunt, earumque reatu, vti proximum רפרו certissime est ignominia, qua ipsi Deum affecerant. Quare verba potius reddenda sunt: sanguinem eorum i. e. reatum caedium, quas commiserunt, super iis relinquet, non auertet quas commiserunt, poenas, quin crudelissime in eos defacere patietur. Quae sententia quam aptissima sit, aliisque verbi vsibus satis conueniat, non est, cur יטש mutetur in נטש, et ex Syr. ܢܬܫ haec versio repetatur: suo ipsorum sanguine eos inquinabit Deus.

Praeterea נטש ריב Prov. XVII, 14. est omittere, missam facere litem, vti Chaldaeus recte exposuit. Etsi enim hic locus facillime omnium admittat considerandi notionem ex نطس repetitam (\*), illa tamen explicatio cum non minus aptum efficit sensum

(\*) Qua applicata ven. PAULUS vertit: Betrachte die Sache wohl, ehe ein Streit sich anspinnr.



senfum, tum consentanea magis est cum ceteris verbi vrbis, ac proinde praeferenda nouae, quam ven. PAULUS commendauit, interpretandi rationi.

Neque praetermittendus hic vsus est, quo נטש ארץ, *relinquere terram* significat, eam liberam linquere, sibi permittere, cultu eius intermisso, vt quae voluerit quasi, sponte ferat. Cuius exemplum vnum saltem certissimum exstat in lege de anno sabbatico, Exod. XXIII, 11. vbi נטש cum שטט mittere, omittere, dimittere, coniunctum, per אֲנִיעַוּאִי, רטש et מ.כ.ג. red- ditur in Alexandrini, Chaldaei et Syri versionibus. Quando- quidem vero dubitari nequit, quin ad hanc Mosis legem de septimo quoque anno sacro spectent illa Iudaeorum verba, Neh. X, 32. נטש את השנה השביעית; consentaneum videtur, vt ibi quoque נטש de intermisso agri cultu accipiamus, non autem cum ven. PAULO, qui locum Mosaicum haud attigit, ex נטש simpliciter vertamus: *obseruabimus* (tanquam sacrum) *annum quemque septimum*. Quod si hic esset verus sensus, mirandum sane, qui factum fuerit, vt tam serae aetatis scriptor Hebraeus vocabulum adhiberet rarius et exquisitius, nec tale, quod hac in re tritissimum esset, velut שמר aut הקריש.

Denique etiam נטש linquere aliquem, sequente infinitiuo cum ל composito, valet *permittere, liberum quid facere alicui*, cuius vsus vnicum at clarissimum exemplum occurrit in loco ven. PAULI sententiae valde aduerso, sed neque ei obseruato, Gen. XXXI, 28. וְלֹא נִטְשָׁתִּי; *non fuisti me osculari nepotes meos* etc.

E

vti





vti recte intellexerunt antiqui interpretes, in quibus Chaldaeus, Syrus et Samaritanus idem verbum שנק adhibuisse reperiuntur.

Satis apparet, nisi me omnia fallunt, non leui aut vana opinione, sed validis rationibus ductos interpretes verbo נטש illas attribuisse significationes, quae perspicuitatis gratia per varia verba Latina: *missum facere, committere, deserere, abiicere, omittere, sibi permittere, sinere*, et quae sint alia, exprimuntur. Sed illud quoque ex hactenus disputatis nemo non intelliget, admissam in verbo illo Hebraico *linquendi* s. *mittendi* potestatem copulae vicem praebere, qua varios illos vsus, prima fronte satis diffidere visos, tam apte colligare possimus, vt haud temere significatio illa loco, quem adhuc tenuisset, mouenda sit, certe minime commutanda cum notione *considerandi*, quae paucis tantum locis quodammodo apta defendi nequit, nisi pro arbitrio diuellantur ea, quae manifesto sub eodem verbo coniuncta esse voluit Hebraeorum loquendi consuetudo.

At supersunt tamen, ne quid dissimulem, alii quidam tum ipsius verbi נטש, tum nominis deriuati נטשות vsus nondum memorati, quorum non aequae liquet coniunctio cum ea, quam vindicare studui, *linquendi* potestate. Huc pertinent in primis participium pass. Kal נטשׁו 1 Sam. XXX, 16. et forma Niph'al נטשו Iud. XV, 9. 2 Sam. V, 18 et 22. reperiunda de agmine militum, quod in campo aliquo longe lateque *se pandit, extendit, diffundit*. Ita nimirum in his locis verti solet

נטש





שׂוֹן, inuisante serie (\*) non tantum, sed accedente etiam veterum interpretum auctoritate. Vti enim Alexandrinus 1 Sam. XXX, 16. שׂוֹן exposuit per διακείμενοι, vbi Aquila haud alio sensu ἐκτεταμένοι dedit, ita pro שׂוֹן Vulgatus Iud. XV, 9. posuit: *effusus est exercitus*, et 2 Sam. V, 18. 22. *diffusi sunt*. Deinde ad hanc *diffundendi se* s. *extendendi* significationem plerique interpretum commode etiam reuocant usum formae Niphal in allegorico loco Ies. XVI, 8. vbi de vite dicitur, שְׁלַחְתִּיהָ נִשְׂוֹן, *propagines eius extenderunt se* vel vltra mare, vti recte Syrus, inter veteres solus hic sapiens, per ὄρεον exposuit. Inde etiam orta est notio *palmitum vitis* in deriuato nomine נִשְׂוֹן, Ies. XVIII, 5. et Ier. XLVIII, 32. pro quo Alexandrinus hic κληματα, illic κληματιδας, Vulgatus in Ieremiae loco *propagines*, Syrus in vtroque נִשְׂוֹן, *palmites*, dederunt. Quae interpretatio omni dubitatione eo eximitur, quod non solum ex lege parallelismi Ies. XVIII, 5. נִשְׂוֹן et וְלִילִים sibi mutuo respondent, sed etiam collatis inter se locis Ies. XVI. et Ier. XLVIII. liquido intelligitur, hunc vatem nihil aliud per נִשְׂוֹן indicare voluisse, quam quod ille per שְׁלַחְתִּיהָ expresseerat. At firmata per has rationes *palmitum* notione vicissim stabilitur quoque ipsius verbi

E 2

in

(\*) Penes lectorem iudicium sit, num seriei aequae apta sit verbi نطس notio, a ven. PAULO ita applicata, vt נִשְׂוֹן, 1 Sam. XXX. velit esse, qui conspectui pateant, (ein Heer, das auf einer Fläche leicht übersehen werden kann); in tribus autem reliquis locis שׂוֹן reddat: videbantur, vel a speculatoribus obseruabantur Philistaei, (wurden recognoscirt).



in loco illo Ies. XVI. quam plerique tenuerunt, significatio: Quare assentiri non possum ven. PAULO נטשו Ies. XVI. vertenti *conquiruntur*, et נטשוה interpretanti de vitibus *generosis, studiose quæsitis*, quæ quidem ex نطس quo iure effecerit, alii viderint. Locum autem Ier. V, 10. vbi נטשוה alii de *pinnis*, de *propugnaculis* alii acceperunt, ven. SCHLEUSNER et PAULUS autem ad نطس respicientes, de *speculis* ille, hic de *palatiis* interpretantur; hunc igitur locum haud aliam requirere, quam illam *palmitum* significationem, viderunt VENEMA, MICHAELIS, DATHE aliique bene multi. Atque idem etiam verbum הטר hic reperitur, quod vocabulo נטשוה adianxit Iesaias c. XVIII, 5. Tum singularis est dictio in descriptione proelii, quo caesi sunt a Philistæis Israelitæ, 1 Sam. IV, 2. occurrens והפש המלחמה, quam ipsam etiam plerique reddunt: *expandit, diffudit se proelium*. Ven. PAULUS suam de hoc loco sententiam non aperuit. Quod si vspiam indigeamus ope Arabici وطس, illi certe formulæ illustrandæ felicissime, arbitrer, adhiberi posse glossam ex Camuso Phiruzabadii a Golio enotatam, qua وبيسة exponitur per شدة الامر i. e. *rem grauem, duram, aduersam*. Sic locutio idem fere indicaret, quod וחכבר המלחמה Iud. XX, 34. et 1 Sam. XXXI, 3. Sed nihil definitio, quod ipsorum fontium adeundorum mihi nunc quidem copia non est. Alia itidem singulari locutione in allegoria illa Ies. XXXIII, 23. de naui, quæ vehementi tempestate iactatur, hæc legimus: נטשו חבליה, quæ verba, etsi fuerunt, qui ex vsitatiore significato redderent: *relictæ sunt funes tui*, scil. a nautis omnem salutis spem abiicientibus; plurimi tamen vertenda existimarunt, aut *rupti sunt*, aut *laxati*



*laxati sunt.* Illam versionem praeiuerunt Alexandrinus *ἔργα γὰρ*  
 ponens, et Chaldaeus suo *אחפסקו*, eandemque ex *وطس* repe-  
 tit ven. PAULUS. Hanc Vulgatus offert, a quo non dissentit  
 Syrus reddens *אחפסקו*, *soluti sunt.* Id vt rei ipsi conuenientif-  
 simum est, ita concinnius etiam propter disiunctum *חוק*, *ad-*  
*stringere, firmare*, in verbis proximis. Neque alibi vsquam ob-  
 uia est, quae Ies. XXI, 15. comparet formula, *חרב נמושה*. Sy-  
 rus vertit: *אחפסקו*, gladius *acutus*, vnde suspicio nasci possit  
 lectionis *למושה*, maxime collato loco Pl. VII, 13. vbi verbis  
*חרבו ילמוש* subiiciuntur haec, *קשתו ררך*, vt apud Iesaiam sequi-  
 tur *קשת דרוכה*. Alexandrinus verbum plane omisit. Vulgato  
 est *imminens* gladius, Chaldaeo *שליף* *strictus*, quod vt simplicif-  
 simum plerique adoptarunt, etfi de etymo dissentientes. Ven.  
 PAULUS hanc significationem ex *نطس* repetit, quasi proprie  
 fit gladius *sub adsp̄ctum cadens*; MICHAELIS (*Suppl.* N. 1581.  
 coll. N. 908.) ex Talmudico *נטש* *excoriare*, at simul coniiciens,  
 puncto diacritico mutato fortassis legendum esse *נמושה* ex *מוש*  
 Syr. *ف* *volare*, vt proprie fit: *gladius volare factus*, i. e. vibra-  
 tus supra caput. Alii tamen pro gladio *stricto* maluerunt *di-*  
*missum*, aut *sibi permissum*, qui liberrime grassetur sine lege et  
 modo. Denique nonnullis in locis res ipsa et constructio pos-  
 cere videntur *proiiciendi* et *prosternendi* notionem, vt Num. XI,  
 31. *ויטש על המחנה*; Ier. XXIII, 39. *ונטשתי אחכם מעל פני*; Ezech.  
 XXXI, 12. de arbore: *ויכרתהו ויטשהו* *succiderunt et deiecerunt eam*,  
 et cap. XXXII, 4. *ונטשתיך בארץ*, vbi ex parallelismi lege re-  
 spondet verbo *אטילך*, vt Amos V, 2. coniunguntur *על נטשה*  
 ארמה



נפלה ex Niphal, et נפלה. Eandem expresse-  
 runt quoque veteres interpretes, et Vulgatus quidem verbo *proiicere* apud Ezechie-  
 lem et Amosum, et *demittere* in loco Mosi; Syrus nunc verbo  
 נפלה. Ier. l. c. et Ezech. XXXII. nunc נפלה, Ezech. XXXI. et Num.  
 XI. vbi Onkelos etiam eodem רמה vsus reperitur, Alexandrinus  
 autem verbis ἐπιβαλλειν, Num. l. c. καταβαλλειν Ezech. XXXI.  
 πασαι Ier. l. c. et σφαλισθαι in loco Amosi. Hunc vltimum  
 solum tetigit ven. PAULUS, ipse etiam נפלה interpretatus: *de-*  
*iecta, prostrata est*, quasi ex وطس, at nullo vsus exemplo pro-  
 lato, cuius auctoritate hunc significatum verbo Arabico adstrue-  
 ret. Reliqua quatuor loca praetermisit, quare ignoramus,  
 quomodo locis Ier. XXIII. et Ezech. XXXII. vbi aliud thema  
 quam נפלה assumi nequit, verbi نطس significationem adplicet  
 Vir ven. et ad quod verbum referri velit נפלה Num. XI. et נפלה  
 Ezech. XXXI. Iam quomodo hi vsus rariores, quos vltimos  
 recensui, vel inter se conciliandi sint, vel cum prioribus illis  
 et cum *relinquendi* notione in concordiam reuocandi, de eo  
 equidem non magnopere laborandum existimo. In verbis enim  
 quamplurimis propriam et primam significationem obsoleuisse,  
 atque obliuioni traditam esse, inter omnes constat idoneos  
 rei arbitros. Quae si verbi נפלה conditio sit, vt esse potest, dis-  
 sonantia videantur necesse fere est, quae indagata primaeva  
 potestate suauissime inter se concinere intelligeremus.

Sed



Sed sine vltiore mora ad id progrediens, cuius causa omnis haec scriptio suscepta est, exponam breuiter memorabilia, siue secunda, siue aduersa, quae pro rerum humanarum vicissitudine, Academiae per annum elapsum contigerunt, quo Magistratum gessi, iam iam deponendum.

Principio quidem boni mecum omnes summas gratias agent habebuntque Deo O. M. qui non solum multiplicem truculenti belli calamitatem, qua misere afflicti fuere tot populi vicini, a finibus nostris benignissime prohibuit, sed cuius etiam nutu et consilio effectum est, vt grauibus curis, quae ineunte anno nos sollicitassent, sub exitum eius plane exsoluti gratulari et Academiae possemus, et vniuersae Hassiae reditum pacis, ardentissimis omnium votis expetitur.

Cui secundum Deum id beneficium deuota grataque mente acceptum referimus, *SERENISSIMUS PRINCEPS*, Pater patriae Optimus, propensissima sua voluntate, qua Academiam hanc amplificauit, eandem adhuc tutatur et seruat, cuius rei complura hoc quoque anno exstiterunt documenta luculentissima.

Procancellarii ampla prouincia demandata est Perillustri JOANNI HENRICO CHRISTIANO ERXLEBEN, Serenissimo Landgrauio a consiliis iustitiae intimis, et iuris Antecessori, cuius Viri doctrina, prudentia, in rebus agendis dexteritate, integritate, aequitate ceterisque virtutibus eximiis, vt quam diutissime adiuuetur ac promoueatur res nostra communis, mecum pariter optant, quibuscunque Academiae salus curae cordique est.



Auctus etiam fuit ordinariorum iuris Professorum et Facultatis iuridicae Adfessorum numerus per Ill. REINHARDUM HILLE, qui per quatuor fere annos eandem scientiam extra ordinem docuerat.

In Philosophorum ordine locus nunc obtigit JOANNI CAROLO FRIDERICO HAUFF, qui anno superiore Professoris extraordinarii titulo ornatus fuerat, matheos et phyfices doctori egregio.

Vnico vt opinor in annalibus Academiae exemplo, quatuor Professorum intra trimestre temporis spatium ducta sunt funera. Ex Jureconsultis enim fato functi sunt JOANNES HENRICUS CHRISTIANUS DE SELCHOW, Academiae Cancellarius, et JOANNES ANDREAS HOFMANNUS. E Philosophorum ordine itidem duo Professores vitam cum morte commutauerunt, JOANNES GOTTLIEB STEGMANNUS, et JOANNES GOTTLIEB WALDINUS, vterque matheos et phyfices doctor. Contra ex ciuibus neminem morte nobis ereptum fuisse laetamur.

Quod reliquum est, quum hac ipsa die solenni ritu inaugurandus sit NOVUS PRORECTOR, huic actui vt splendorem addere sua praesentia velint SERENISSIMI PRINCIPES, PERILLUSTRIS PROCANCELLARIUS, DIVINARUM ATQUE HUMANARUM LITERARUM PROFESSORES CELEBERRIMI, GENEROSISSIMI denique ac NOBILISSIMI ACADEMIAE CIVES, ea qua par est reuerentia atque humanitate rogo.  
P. P. MARBURGI IPLIS CALENDIS JANUARIJ, A. MDCCCLXXXVI.

